UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1784

VD18 13322648

§. 66. Ingens summi Pontificis gaudium ob Noaillii palinodiam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-67667

Visual Library

tatis vinculo unitos, & ſincero affectu reconciliatos experiebatur: Accurrebant etiam gratulabundi Generales Congregationum, Oratorii, Doctrinæ Chriſtianæ, & Benedictinorum: Eadem quoque die Fratrum Mendicantium Superiores, ac ipſi etiam Jeſuitæ, quibus Archiepiſcopale Palatium per plures annos fuerat interdictum, perorante Patre Tournemine, Cardinali Noaillio glorioſum de ſe triumphum gratulabantur.

§. LXVI.

Ingens ſummi Pontificis gaudium ob Noaillii palinodiam.

Quamprimum Benedictus XIII. Papa non modo ex publica fama, ſed ex ipſis quoque Noaillii literis comperΓerat, hunc Cardinalem Sacræ Sedi ſincera Conſtitutionis acceptatione reconciliatum eſſe, mox gaudio exiliens, ad diem octavam Novembris publicum, ut vocant *Conſiſtorium* indixit, ut cunctos Cardinales de tam proſpero ſucceſſu certiores redderet: Congregatis igitur omnibus Purpuratis Pontifex eos his verbis alloquebatur:

„Probe cognitum habetis, Venera„biles Fratres, quanto labore ac ſol„licitudine Sacra Sedes doctrinæ pu„rita-

Sæc. XVIII.
A.C. 1728.

„ritatem contra errores in Conſtitu-„tione *Unigenitus* proſcriptos tueri ſtu-„duerit; notum quoque eſt, quam in-„victa fortitudine & patientia Clem. XI. „& Innocentius XIII. ambo ſummi Pon-„tifices Apoſtolici ſui officii partes ad „id impleverint, ut ad veritatis ſemi-„tam illos, qui ab ea infauſta ſorte de-„flexerunt, per debitam obedientiam re-„vocarent, atque inter eos præcipue ce-„lebrem veſtrum Collegam, Noaillium „Cardinalem Archiepiſcopum Pariſien-„ſem, cujus nomine & auctoritate freti „pertinaciſſimi quique Appellantes per-„vicaciæ ſuæ vexilla erigebant. Erat „nimirum hiſce Prædeceſſoribus noſtris „perſuaſiſſimum, quod hoc Anteſignano „ad ſinceram & Sacræ Sedi debitam „ſubjectionem redacto, a recto tramite „devii tam ipſius exemplo, quam ejus „mandato ad obſequium facili negotio „revocari poſſent. Scitis pariter, quod „per infinitam Dei Sapientiam inter „maximas haſce turbas, Eccleſiæ Ca-„tholicæ clavum tenere ſelectus, nulli „unquam labori pepercerim, ut Dile-„ctum hunc Filium paternæ meæ vo-„luntati obſequentem redderem. Tan-„dem vero dextera Excelſi ſua virtute „vicit, & conſolationes Divinæ afflictam „animam meam eo magis erexerunt, „quo graviores ac innumeri dolores atque „anxie-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

„anxietates me a die exaltationis meæ „depreſſerant. Hæ ſunt ſuaves illæ „delitiæ, quarum vos, Venerabiles „Fratres, participes fieri volo; æquum „enim eſt, ut qui paſſionum & cura„rum noſtrarum ſocii fuiſtis, nunc quo„que gaudii & ſolatii noſtri ſitis. Gau„deamus; confrater enim veſter Dei „gratia excitatus cordis ſui ſinum no„bis aperuit, data ad Nos epiſtola, „quam Vobis exhibeo.„ His dictis per Apoſtolicorum Brevium Secretarium Pontifex literas Noaillii die decima nona Julii Romam miſſas prælegi juſſit, quibus abſolutis ita proſequebatur.

Sæc. XVIII. A. C. 1728.

„Huic igitur Dilecto Filio noſtro tenero affectu charitatis in Chriſto reſponſum in forma Brevis dedimus, illius tenorem percipite,“ mox perlecto hoc reſponſo, *cum ergo*, pergebat Pontifex, *præfatus Cardinalis de Noailles jamjam mandamentum ſuum promulgarit, facile intelligetis, æquiſſimi doloris noſtri cauſſam eſſe ſublatam; commiſſo enim gregi ſuo luculenta perfectæ ſubmiſſionis erga Apoſtolicam Conſtitutionem ſpecimina præbuit.*

Sub idem ferme tempus Pontifex alias a Noaillio literas die vigeſima tertia Octobris datas recepit, hujus tenoris:

Sæc. XVIII.
A. C. 1728.

Beatiſſime Pater!

„Promiſſis ſteti, feci, quod debui, „& quod præcepiſti, Conſtitutionem „*Unigenitus* Regia in Urbe, totaque „Pariſienſi Diæceſi rite promulgavi e- „dito publico documento, quod nunc „ad Sanctitatem veſtram transmitto. „Jam in intimo cordis mei & inex- „plicabili gaudio ſentio, quam ſuave, „& proficuum ſit filio docili, eſſe tan- „dem Patri ſuo in corona fratrum, „ore & animo unitum: magis ad- „huc teneri mei affectus creſcant & „augentur, Beatiſſime Pater, dum „mente revolvo, quod publice & ſine „timore de amicitia tanti Pontificis „gloriari poſſim, cujus tota vita „fidei defenſioni, Altaris miniſterio & „aſſiduis charitatis operibus dedicata „eſt, factus omnium Paſtorum Eccle- „ſiæ forma Haud tamen diſſimulare „valeo, Beatiſſime Pater, quod gau- „dium meum non ſit plenum, nec ſine „ſollicitudine, optarem quidem, ut „ſinguli eorum, qui mihi uniti ſunt, „ſicut gaudii mei, ita & obedientiæ „& ſubmiſſionis meæ participes forent, „ex omnibus tamen hactenus geſtis „Sanctitas veſtra haud difficulter intel- „liget, quod tempeſtas, qua agitamur, „tam

„tam cito ſedari nequeat; repreſſis e- Sæc. XVIII.
„nim rudioribus ac violentis procellis A. C. 1728.
„mare fluctus adhuc deſpumat, qui
„quidem navigantibus imminens pe-
„riculum non minitantur, cor tamen
„aggravant, & plenam animi tranquil-
„litatem adhuc impediunt.„

„Ita, Beatiſſime Pater, conſtituti
„erimus, donec diſputationum æſtus
„inter nos tam vehementer concitati,
„tandem deferbuerint, & refractarii
„ad docilitatem & ſubmiſſionem, quam
„Religio inſpirat, reducti perfectam
„pacem in unitate & concordia ſenſe-
„rint. Dubius & incertus hic ſucceſ-
„ſus, qui a Deo ſolo dependet, adhuc
„me inquietat & affligit: Quantum
„quidem in me eſt, ad maturandum
„fauſtiſſimum hoc momentum omnia
„exequi paratus ſum, nec vitam meam
„pretioſiorem facio, quam ſalutem
„eorum, quos Divina Providentia meæ
„commiſit curæ. Præprimis ſtudebo, ut
„ſibi ab illis præcaveant, qui meis mo-
„nitis & doctrinis ſemper reſtiterunt,
„quosque tanquam ſectæ & errorum
„Janſenii fautores tot cenſuris acriter
„perſtrinxi, & nuperis Eccleſiæ turbis
„ad renovanda perverſa ſua dogmata,
„& quantum in ipſis erat, ad ſaluta-
„rem Eccleſiæ legem de ſubſcribendo
„formulario abrogandam abuſi ſunt:

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sæc. XVIII. A. C. 1728.

„Omnes intendam nervos, ut & ipſi „auctoritatem Bullæ *Unigenitus* æque „ac æquitatem cenſuræ in proſcriptas „propoſitiones agnoſcant, & profiteantur. Verbo, Beatiſſime Pater, pro „veritatis & unitatis cauſſa arripiam „arma charitatis, ſapientiæ & auctoritatis. „

„Hæc ſunt, quæ in præſenti rerum viciſſitudine adhuc agenda mihi „ſuperſunt, indies quidem corpus meum „ſub pondere gravis ſenii & morborum „vacillat, ſpiritus tamen meus convocatis omnibus viribus, novo ardore „excitatur, ut antequam moriar, amantiſſimæ Eccleſiæ meæ, quam ſemper „tenero affectu proſecutus ſum, tranquillitatem pacemque tantopere neceſſariam procurarem. Chriſtus Dominus votorum meorum teſtis, concedat, ut ea adimpleta videam, nec „me ex hoc mundo avocet, quin prius „diuturnam firmamque pacem omnibus meis filiis in medio gregis mei „redditam aſpicere valeam. „

„Beatiſſime Pater, in meis anguſtiis ac laboribus non me deſeras, „paterna ſua bonitas permittere nequit, „ut ejus, quem amas obliviſcaris; in „nomine Jeſu Chriſti, qui a Patre ſuo „ob reverentiam exauditus eſt, & cujus vices geris, pro me neceſſaria po-

„ſtula-

„ſtulabis & obtinebis auxilia. Tuum „enim præcipuum eſt confirmare Fratres, dumque ſuis auſpiciis pro fide „Catholica pugnavero, tu diriges greſ„ſus meos tua prudentia, proteges me „tua auctoritate, ut rebellium pertina„ciam frangere, indocilium corda com„movere, ex eorum animis præjudicia, „malignasque ideas evellere, & tan„dem unaomnes ad ſinceram & per„fectam obedientiam & concordiam „reducere valeam. Hæc dum pro me „omnibusque meæ curæ commiſſis „vota exſolvo, Deum Ter Optimum „precor, ut Tanto Pontifici longam „annorum ſeriem concedat &c.„

Sæc. XVIII. A. C. 1728.

P. S.

„Finiens has literas percipio, infau„ſtum quoddam ſcriptum, ceu a me „die 22. Auguſti hoc anno ſignatum „ac furtive impreſſum in vulgus ſpargi. „Rogo autem Sanctitatem veſtram, ut „ſi forte per hoſtes meos, qui ſimul „ſunt hoſtes pacis, ad ejus Thronum „hoc ſcriptum perveniret, nullam ei „fidem adhibeat, ſed de animi ſenſis „judicet juxta ſinceras declarationes in „pluribus meis epiſtolis ad Sanctitatem „veſtram datis factas, & juxta manda„tum ad fideles meos Diæceſanos trans„miſſum, cujus authenticum tranſum„ptum accludo.„

Sæc. XVIII. A. C. 1728.

Has quoque Noaillii literas Pontifex in pleno Purpuratorum conſeſſu prælegi juſſit, ac tandem tota cordis ſui effuſione exclamavit: *Exultemus in Domino, Venerabiles Fratres, gratias agamus Domino Deo noſtro, humiliter eum rogantes, ut hoc opus perficere, ac diſponere dignetur, ut decreſcente diſſenſione pax rurſus in Eccleſia floreat, & unitas cum Chriſtiana charitate ſemper de ſuis hoſtibus triumphet.*

Ad lætitiæ cumulum haud parum contulit felix fauſtusque Nuntius, quo Pontifici ſignificatum, quamplurimos Noaillii Cardinalis exemplo permotos ſepoſita pervicacia Conſtitutionem perfecta ſubmiſſione acceptaſſe, ipſumque Embrodunenſe Concilium a potiſſimis Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopis receptum fuiſſe, quippe Cardinalis de Alſatia Mechlinienſis Archiepiſcopus, necnon Brugenſis, Yprenſis, Gandavenſis & Antverpienſis Epiſcopi in Belgio, Epiſcopi Granatenſis, Salmanticenſis, & Inquiſitores, necnon Archiepiſcopi Toletanus, Burgenſis, Cæſar Auguſtanus, Tarraconenſis, & Valentinus in Hiſpania, & denique in Italia omnes Epiſcopi præfatam Synodum unanimi conſenſu approbarunt, & Archiepiſcopo ejus Promotori gratulantes debita reverentia acceptarunt.

§. LXVII.